



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

[A.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656



INCIPIT
COMPENDIUM
 SUMMÆ, SEU MANVA-
 LIS, DOCTORIS NAVARRI,
 in ordinem alphabeticum reda-
 ctum, sententiâsque omnes suc-
 cinctè complectens.

ABBAS.

ABBAS potest conferre quatuor A-
 minores ordines. cap. 22. num. 8.
 §. Quare.

Abbatès potentes absoluere à B-
 sententia canonis (si quis suadente) non pos-
 sunt à multis aliis excommunicationibus
 minoris auctoritatis. cap. 27. num. 273. & in
 Nouo num. 275. §. 16.

ABORSVS.

PEC-CAT mortaliter qui est causa abor- A
 sùs,

sus, percutiendo mulierem, quam scit grauidam; & si foetus erat animatus, sit irregularis. Secus, si foetus non erat animatus, aut non dubitatur de illo. Foetus autem masculinus animatur ad quadragesimum diem, foemininus verò ad octuagesimum. cap. 15. num. 14. cap. 17. num. 222. & Nou. num. 223.

B Peccat mortaliter mulier grauida, procurans abortum, sumendo pharmaca, vel aliud quodcumque medium in eum finem. Imò etiam si absque hac intentione exponat se probabili periculo abortus. cap. 15. num. 14.

Medicus propinans praegnantì medicinã, vt patiatür abortum, peccat mortaliter. Imò licet propinet, vt matrem à morte liberet. cap. 25. num. 62.

ABSOLVTIO I.

Sacramentalis in genere.

A **Q**VI dubitat quid faceret, si occurreret occasio, vel peccandi m. vel patiendi mortem, absolui potest, dummodo proponat non peccare, etiam si talis occurrat occasio. cap. 1. num. 22. & in Nouo num. 19.

Ad absolutionem non requiritur quòd penitens credat se amplius non peccaturum.

rum. cap. 3. num. 5. lit. E. & No. num. 13.

Ad absoluendum pœnitentem, non re- **B**
 quiritur, quòd proponat abstinere in poste-
 rum ab occasionibus remotis peccati mór-
 talis, nec à propinquis venialis, sed sic à pro-
 pinquis peccati mortalis. cap. 3. num. 5. lit.
 A. & in Nouo num. 10.

Occasio autem propinqua peccati m. est
 omnis illa & sola, quæ est peccatum m. vel
 talis occasio peculiaris, qua credit, vel cre-
 dere debet, confessarius, vel pœnitens, num-
 quam vel rarò se vsurum sine peccato m. be-
 ne perpensis circumstantiis. *ibid.* lit. D. & No.
 num. 14. Confessarius non debet regulari- **C**
 ter absoluere nolentem relinquere occasio-
 nem, quæ ferè omnes sui similes facit quasi
 semper peccare m. Poterit tamen quando
 tales concurrunt circumstantiæ, quæ persua-
 deant, quòd numquam vel rarò peccabit
 mort. propter eam, quamuis non abstineat
 ab ea. Quòd tunc continget, quando hæc
 quatuor concurrerint. I. Verus dolor præ-
 teritorum. II. Verum propositum non pec-
 candi, cum se inuenerit in tali occasione.
 III. Credulitas quòd non ruet, adiuuante
 Deo. IIII. Aliqua causa notabilis propter
 quã non se abstinet à tali occasione. Ex qui-
 bus varia sequuntur corollaria. c. 3. n. 5. lit. E. &
 in No. n. 15. Quòd si ille adhuc tèt quaterue

B admo

admonitus, nullam prorsus emendationem faciat, non deberet absolui ulterius. *ibidē. lit. I. & in Nouo num. 21.*

- D Quilibet simplex Sacerdos potest absolvere à venialibus, vel etiam à mortalibus alias confessis. *cap. 4. num. 1. & in No. n. 5.*
 Excommunicatus iniuste, licite potest absolui à peccatis in foro conscientia. *cap. 9. num. 4.*

Absolutio à peccatis facta à non habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, nulla est. Nec sufficit ratificatio postea facta à proprio confessario. *num. 5. 6.*

- E Qui habens casus reseruatos, confitetur non habenti potestatem absoluendi ab illis, si absoluat ab eis, non est valida absolutio, quoad eos, sed sic quoad reliquos. *cap. 9. num. 6. & in No. num. 7.*

Absolutio facta à Priori, vel Abbate nullo titulum bonum, vel malum habente, nulla est. Et licet titulus sit malus, aliquando tamen sufficit ad validitatem absolutionis. *cap. 9. num. 8. & in Nouo num. 11. vbi loco Prioris seu Abbatis ponitur nomē Parochi.*

Nullo modo est absoluendus indispositus, quamuis ipse pœnitens dicat, desperationem vel scandalum subsecuturum. *ca. 10. num. 4.*

- F Non debet absolui pœnitens, qui nō vult des

desistere ab occasione, quam dat alteri ad peccandum, si occasio est scandalum actuum mortiferum; id est, quod qui dat, peccat m. dando eam. Talis est omnis & sola illa quae datur per peccatum m. aut intentione principali, vel minus principali, inducendi ad illud; vel ad id iuuando, vel conténdo salutem spiritualem proximi, vel in id consentiendo, saltem interpretatiuè. c. 14. num. 3 1. lit. A. & in No. num. 3 2. Ponuntur autem his in locis varia exempla de vsurario, de meretrice, & aliis.

Non est absoluendus concubinarius cō- G habitans concubinæ, nisi prius separetur, eum proposito nunquam ad eam amplius redeundi. cap. 16. num. 20. Idem est, quando à populo creduntur concubinarij, quamuis reuera non sint. Ibidem.

Non est absoluendus is qui sibi videtur, quod, alteri cohabitando, non vitabit peccatum mortale, nisi separetur. ibidem. n. 2 1.

Absolui potest ille de quo confessor non potest intelligere, vtrum peccet venialiter vel mortaliter, quamuis non possit ei persuadere, vt à tali opere desistat; cautiùs tamen ageret consulendo peritos. ca. 23. n. 2 1.

Absolutio est danda in quibusdam casibus, præmisso iuramento, scilicet in iis in quibus ius id præcipit, quales sunt in excō- H
B 2 municato

municato notorio absoluendo, in incendio, in mutilatore, in manifesto raptore, vel Ecclesie violatore, in vsurario publico, & in publice iniuriante personas Ecclesiasticas. cap. 26. num. 2.

Potest absolui proponens id quod iure facere debet, se facturum consilio huius, vel illius Doctoris. ibidem. num. 3.

I Non est absoluendus nisi raro qui precedenti confessione promisit restituere, & non impleuit, cum tamen posset. cap. 17. nu. 59.

Absolutio à peccatis, non est danda nisi præmissa absoluteione ab excommunicacione. num. 7. Si tamen detur, valebit aliquando. num. 7. & cap. 9. num. 3. de quo tit. confessio 4. lit. C.

Absolutio danda est præmittendo, *Miserereatur, &c.* & statim, *Dominus noster Iesus Christus &c.* & solum hæc verba *Absoluo te*, sunt essentialia. cap. 26. num. 11.

L Non debet dari absolutio à peccatis sub conditione de futuro, secus de præterito. quoniam absolutio non potest esse in pendenti. num. 12.

Absolui potest loquela priuatus, qui per signum confiterur. Non tamen ille qui tantum ostendit signa contritionis, nisi nutu vel verbo fuerit confessus aliqua peccata. c. 26. num. 28. & No. num. 27.

Quod

ABSOLVTIO II. 21

Quòd si nec huiusmodi nutibus possit M
confiteri, non est absoluendus, quamuis an-
tequam iudicium amitteret, vocauerit con-
fessarium, & magnam voluntatem cum si-
gnis contritionis ostenderit aliis quàm ab-
soluturo. cap. 27. num. 269. & Nou. 268.

Poterit tamen absolui is qui peccata ape-
ruit alicui, mittendo eum tanquam nunciũ,
ad confessarium, à quo sit absoluendus. ibi-
dem.

An existenti in articulo mortis, possit im-
pendi absolutio à Sacerdote excommunica-
to, etiam denunciato. vide titul. Articulus
mortis.

ABSOLVTIO II.

Sacramentalis à peccatis reseruatis.

ABSOLVTIO collata habenti casus re- A
seruatos à non habente potestatem, non
est valida quoad reseruatos. cap. 9. num. 6.
& in No. num. 7.

Habens peccata reseruata, omnia integrè
confiteri tenetur, licet confiteatur Sacerdo-
ti non potenti absoluere à reseruatis, aliàs
confessio est nulla. cap. 9. num. 11. Nouo
num. 14.

Potèstque, si integrè confiteatur, absolui B

B 2 ab

ab inferiori, à non referuatis, & mitti ad Superiorem pro absolutione à referuatis; cui sola referuata confiteatur. cap. 26. num. 6. Non debet dicere *absoluo te ab omnibus peccatis*, sed cum limitatione, *à tali & tali*. Ibidem, additum in Nouo.

Sed vt primò absoluat ab inferiori, à non referuatis, requiritur quòd referuata non habeant annexam excommunicationē. cap. 26. num. 27.

Quando Superior absens concedit inferiori facultatem, vt absoluat à referuatis, sub hac conditione, vt pœnitens iterum confiteatur superiori quando fuerit præsens; tunc absolutio à referuatis data cum hac conditione valida est; quamais pœnitens postea non confiteatur Superiori: tamen nouum peccatum m. committet, non comparando. cap. 26. num. 12.

C Qui confitetur habenti facultatem absoluendi à referuatis, & non confitetur ea propter obliuionem, potest postea illa confiteri non habenti talem facultatem. cap. 26. num. 13.

Qui absoluit à casu referuato, & censura, à qua non poterat, obtenta facultate potest absoluere absentem à censura. Imò etiam à peccatis, quādo iudicauerit eum esse in gratia, si præsencia eius haberi non potest. n. 14.

Qui

Quilibet Sacerdos, dummodo non sit hareticus, potest absoluere in articulo mortis à quolibet casu referuato, si copia desit Superioris. cap. 26. num. 26. de quo vide etiam copiosius tit. Articulus mortis.

Qui in articulo mortis absoluit à referuato habente annexam excommunicationem, debet pœnitentem admonere, vt, si conualuerit, quàm citò possit, se præsentet Superiori, aliàs reincident in excommunicationem. Hoc tamen non requiritur si peccatum non habet annexam excommunicationem. cap. 26. num. 27. quiniò licet peccatum habeat annexam excommunicationem, non tenetur iste rursus confiteri peccata, quæ ritè confessus est, & à quibus fuit in illo articulo absolutus. Propterea quòd in articulo mortis cessat omnis referuatio, nec etiam tenetur iterum petere absolutionem ab excommunicatione: sed solùm tenetur se præsentare coram superiori: imò nec ad hoc tenetur, si ipse cum parte concordauerit, aut plenè satisfecerit ei tantùm quantum debebat coram Deo. cap. 26. n. 26. Addita sunt in Nouo. §. An autem. & regulariter sufficit se præsentare per procuratorem. capit. 27. numer. 46. tempus autem, quo tenetur se præsentare, si commodè potest, relinquitur determinandum arbitrio

boni viri, quoad forum exterius; sed quoad interius, conscientia ipsius absoluti. nu. 113.

E A peccatis habentibus annexam excommunicationem Papalem, post sublatam censuram, potest simplex parochus absolvere, nisi cum reservatione censurae Papalis concurreret etiam reservatio Episcopi reservantis sibi peccatum illud. Sed iam consuetudine introductum est, ut sublata censura Papali, sublata censeatur reservatio Episcopi. cap. 27. num. 255. & in Nou. num. 261.

F Parochus habens facultatem absolventi à casibus reservatis Episcopo suo, potest absolvere poenitentem alterius Episcopatus à peccatis reservatis suo Episcopo. Ibidem.

Absolutio à casibus reservatis Episcopo potest concedi per quamdam bullam Gregorij XIII. Additum in Nou. cap. 27. nu. 263. absolutio ab excommunicatione incurfa propter participationem cum excommunicato in crimine ob quod est excommunicatus, reservatur eidem cui reservata excommunicatio ob ipsum crimen. ca. 27. n. 112.

De absoluteione ab Hæresi vide tit. Hæreticus. Casus reservatos Papæ, vide tit. excommunicatio. 6. reservatos Episcopo, vide tit. casus reservatus. Quando iudicabitur Episcopum concessisse absoluteionem à casibus sibi reservatis, vide eodem tit.

ABSQ

ABSOLVTIO III.

Ab excommunicatione in communi.

ABSOLVTIO iniusta ab excommuni-
 catione, valida est ipso iure. Præ-
 lud. 9. num. 11. & Nou. num. 13. & cap. 27. num. 37.
 Vnde ea præmissa potest absolui homo à
 peccatis, & profunt illi suffragia generalia
 Ecclesiæ. cap. 27. num. 38.

Qui ignorat se excommunicatum, & ab-
 soluitur à peccatis, habens postea notitiam
 excommunicationis, tenetur petere absolu-
 tionem. cap. 9. num. 3. & Nou. num. 4.

Qui confitetur habenti facultatem ab-
 soluendi ab omnibus peccatis & censure, cu-
 rare debet vt ab omnibus absoluat. Quòd
 si postea censure in mentem venerint, suffi-
 cit confiteri peccata, nulla obtenta absolu-
 tione à censuris. cap. 26. num. 13.

Bene potest quis absolui ab excommuni-
 catione ante solutionem pœnæ debitæ ob
 transgressionem. cap. 23. num. 66.

Absolutio ab excommunicatione præmit-
 tenda est ante absolutionem à peccatis. c. 26.
 n. 7. forma seruanda in absolutione ab excō-
 municatione, est primùm, vt petat iuramen-
 tum; quod quando sit petendum, vide titulo
 absolu

absolutio. 1. Secundò, quòd satisfaciat parti si offensa est notoria; vel expélas, si cõtumacia est notoria. quòd si offensa vel contumacia non est notoria, sufficit præstare cautionem. Hæc autem distinctio de notoria vel non notoria, solùm habet locum in foro interiori : cap. 26. num. 7. Iura autem quæ iubent satisfacere ante absolutionem in articulo mortis, intelliguntur, si excommunicatus potest ; aliàs sufficit præstare cautionem cum pignore vel fideiussore si possit. cap. 27. num. 47. aliàs sufficiet cautio iuratoria. num. 48. Tertiò est, quòd humeros nudatum cum Psalmo, *Miserere mei Deus* ; aut alio pœnitentiæ, flagello vel alia re cædat : & post, *Gloria Patri &c. Kyrie eleison &c. Pater noster*, cum versiculis *Saluum me fac &c.* Deinde Oratio. *Deus cui proprium est misereri semper & parcere, suscipe deprecationem nostram, & hunc famulum tuum quem excommunicationis sententia ligatum tenet, miseratio tua pietatis absoluat, per Christum.* Deinde absoluat eum dicens, *Auctoritate qua fungor, absoluo te à vinculo excommunicationis quod incurristi ob hanc vel illam causam vel causas, & restituo te Sacramentis Ecclesie, & communioni fidelium, in nomine Patris &c. Amen.* Atque hæc forma regulariter est seruanda, si commòdè fieri possit ; alioqui sufficiet dicere,

cere, *Ego te absoluo ab excommunicatione, vel benedico te.* Non enim habet verba determinata, nec fœminæ denudandi sunt humeri. cap. 26. num. 8. 9. de Forma absolu-
D

tionis ad cautelam, vide in fine huius tituli. Fratres minores non tenentur flagellare
E
excommunicatos, quando eos absoluunt in foro conscientia. cap. 26. num. 9. absolutio ab excommunicatione semper requirit aliqua verba: à suspensione verò & ab interdicto, non: quoniam inferuntur donec aliquid certum fiat: tunc enim sufficit quòd illud fiat. cap. 27. num. 165.

Absolutio ab excommunicatione non debet dari sub conditione de futuro, secus de præterito. Ibidem. cap. 26. num. 12.

Excommunicatus ob multas causas, ab omnibus etiam non expressis manet absolutus, si absoluens habeat intentionem absoluendi eum ab omnibus: aliàs verò à solis expressis maneret absolutus: si verò ob vnã tantum causam sæpe incurreret, sufficit dicere toties quoties. num. 8.

Tutius est dicere quòd virtute bullarum non possit impendi absolutio ab excommunicatione extra confessionem. num. 31.

Absolutio ab excommunicatione potest
F
dari post mortem, ei qui mortuus est cum signis contritionis. num. 32. Sed tamen debet

bet dari à potente cum viuum absoluere. Nec est extrahendus è loco sacro, vt flagelletur, sed sufficit flagellare sepulchrum. Ibidem.

Atque hæc quidem non est vera absolutio quoad Deum, sed denuntiatur Ecclesie, decessisse absolutum. cap. 27. num. 271.

Absolutio ab excommunicatione potest conferri absenti. cap. 26. num. 14.

Absolutio ab excommunicatione minori conferri potest à quolibet Sacerdote simplici. cap. 27. num. 25. Dummodo pœnitens habeat tantum venialia. num. 39.

Absolutio ab excommunicatione, facta ab habete potestatem ordinariam, non seruata iuris forma, valet etiam ante Satisfactionem. num. 37.

Non tamen valet facta à delegato non seruata forma absoluendi sibi data in delegatione. Vnde absolutio facta extra mortis articulum, à potente per priuilegia absoluere in eo, non valet, nec facta ante satisfactionem ab habente facultatem absoluendi post eam. Ibidem. potest tamen dari ante solutionem pœnæ debitæ propter transgressionem. cap. 13. num. 66.

G Absolutio data virtute mandati Papæ ad absoluendum secundum formam iuris valet, quamuis ea non seruatur. cap. 27. n. 37.

Abso

Absolutio data metu iusto non valet. Data verò ex falsa causa, valet. num. 38.

Absolutio ab excommunicatione maiori iuris non reseruata potest impendi à proprio Prælato. Imò & Parochus, & etiam simplex confessor, qui possit absolvere à mortalibus, potest eam impendere. Sed data ab huiusmodi simplici confessore valet in foro interiori tantum. num. 39. Nisi absolutus ostenderet commissionem absolutio- nis, ac testimonio Parochi, vel confessoris absoluentis, essetque vir timens Deum: tunc enim valeret in foro exteriori, maxime vbi sit recepta consuetudo absoluedi sine testi- bus, & notario. num. 43.

Proprius prælatus potest absolvere ab ex- H communicatione iuris extra suum Episco- patum & parochiam. num. 39.

Qui potest absolvere ab excommunica- tione iuris, potest etiam à lata ab homine generaliter. num. 44.

Ab excommunicatione ab homine ipse solus potest absolvere, vel eius successor, vel superior, vel delegatus. num. 40. excipiuntur tamen sequentes casus.

Nam delegatus Papæ qui potest excom- I municare intra vnum annum per sententiã diffinitiuam, eo tamen transacto non potest absoluerè. Neque Episcopus post denuntia- tionem

tionem potest absoluere incendiarium excommunicatum à se. Item excommunicans qui postea excommunicatus est maiore, & denuntiatus, non potest absoluere, secus, si minore. Neque excommunicatio lata ab inferiori, & confirmata à Papa, potest auferri ab eo qui eam tulit. Ibidem & exequutor mandati Papæ, qui iubetur excommunicare certum hominē sine cognitione causæ, non potest absoluere postquam excommunicauit. num.44. absolutio ab excommunicatione potest dari à non Sacerdote in foro exteriori, imò etiam interiori, dummodo non coniungatur cum absoluteione à peccatis. num.41.

L Qui potest absoluere virtute iurisdictionis delegatæ à principe, vel concessæ in priuilegium perpetuum ratione dignitatis vel officij aut virtute alterius ordinariæ potestatis, potest id alteri committere. num.45. Simplex ministerium absoluendi potest delegari à delegato Ordinarij, & à subdelegato delegati Papæ. num.45.

M Qui in articulo mortis vel propter aliquod iustum impedimentum absoluitur ab eo, qui aliàs non posset absoluere, præsentandus est cessante impedimento, ei qui de iure potest absoluere, alioquin reincidet. n. 46. Sed regulariter sufficit præsentare se per
procu

procuratorem. Ibid. Non tamen tenetur comparere, si aliàs concordauerit cum parte, aut plenè ei satisfecerit. in Nouo. cap. 26. num. 26. §. An autem. vide etiam titulo, absolutio 2. lit. D.

Absolutio ab excommunicatione data N propter aliquod impedimentum ab eo qui aliàs non potest absoluere, si impedimentum est falsum, ipsa est nulla. cap. 27. n. 90.

A quacumque excommunicatione reseruata Papæ potest Episcopus absoluere: si ob iustum impedimentum non sit recursus ad Papam, vel ad Legatum, vel alium habentem priuilegium ad absoluendum. num. 90. quod autem dicatur iustum impedimentum vide titulo Episcopus.

Quilibet sacerdos potest absolutionem excommunicationis impendere in articulo mortis, etiam non confesso: dummodo signa contritionis precedant. num. 271. & in No. num. 272. §. 7.

Non tamen potest laicus. cap. 26. num. 26. O Imò nec initiatus sacris, qui non sit presbyter. Poterit tamen sacerdos excommunicatus, etiam denunciatus, in eodem articulo mortis eam impendere. num. 271. & in No. num. 272. §. 7.

Absolutio ab excommunicatione incurfa propter participationem cum excommunicato

cato in crimine; ob quod est excommunicatus, referuatur eidem cui esset referuata excommunicatio ob ipsum crimen. num. 112.

Solus excommunicatus denunciatus indiget absolute quoad forum exterius. num. 271.

p Absolutio excommunicationis simplex, est absolutio integra excommunicationis quæ scitur esse lata & valida. num. 273. & in No. 277. §. eodem.

Absolutio ad cautelam est, quæ non est talis. Et ita triplex est. Dimidiata, quæ ad certum tempus vel actum. Integra, eius quæ dubitatur esse lata; & rursus integra, eius quæ scitur esse lata. Sed dubitatur an sit valida. Confessarius igitur electus per confessionalia, Iubileæ & alias bullas Apostolicas, non potest dare primam harum trium; quoniam virtute bullæ nequit dare absolute ad reincidentiam; quod si etiam det, erit fere absolute pure, & excommunicare sub conditione, ad quod faciendum nullam habet potestatem: potest dare secundam; quoniam penitentibus ignorantibus se esse excommunicatos, passim dant confessarij per illa verba, *Si forte teneris*. per quam absolute ab illa vel illis excommunicationibus in quas potestas confessarij se extendit; dummodo satisfecerit vel sit eo animo,

ABSOLVTIO III. 33

animo, quòd satisfaceret, si sciret se esse excommunicatum. Tertiam autem non potest dare, sine præuia satisfactione, si offensa sit manifesta. tunc enim non sufficit præbere cautionem. poterit tamen si dicat non offendisse. si verò dubitet vtrum offenderit, nõ poterit absolvere ad cautelam, quando talis commissio absolutionis est à tali excommunicatione, quæ tractari potest commodè sine absolutione ad cautelam: si verò non potest commodè tractari, poterit absolvere. num. 273. & in No. num. 278.

Hic confessarius, cui committit Superior vt absoluat latronem ad cautelam in foro conscientia tantum, non tenetur citare partem; sed sufficit, quòd per confessionem penitentis constet illi preces veritate niti: at verò confessarius cui simpliciter, vt simplici confessario, committitur absolutio ad cautelam, in vtroque foro debet accipere sufficientem cautionem: non tamen debet citare partem, nec audire excipientem de manifesta offensa. nisi aliquid plus vel minus faciendum præcipiatur, debet absolvere coram notario & testibus, vel saltem coram testibus. ibidem in fine. Forma verborum absolutionis ad cautelam, est, *si teneris vinculo excommunicationis, à quo te possum absolvere, absoluo te quatenus possum. c. 26. n. 10.*

C Quan

Quando sit petendum iuramentum à peccante antequam absoluat. vide confes. III. lit. 1. & t. absol. 1. r. 1.

ABSOLVTIO IIII.

Ab excommunicatione iuris.

AB excommunicatione incurfa ob percuffionem clerici, aliqui poffunt abfolui ab Epifcopo: fcilicet. I. morti propinquus. II. mulier. III. Claudus, cæcus vel quouis modo membris fuis captus. IIII. Diuturna aegritudine laborans. V. Qui ante pubertatem eam incurrit. VI. Qui iudicio Epifcopi non potefi Papam adire. VII. Adolefcens, cui iter periculofum effer. VIII. Pauper ea viuens arte, qua iter agendo non poffet uti. IX. Cui ob inimicitias iter efi periculofum. X. Filius familias exiflens in potefiate patris, qui non potefi adire Papam fine præiudicio patris. XI. Seruus, nifi Dominus confentiat. Hi omnes, & quilibet alij iufte impediti poffunt abfolui ab Epifcopo præmiſſa ſatisfactione, ac iuramento, quod impedimento ceſſante ſe præſentabunt Papæ. cap. 27. num. 88. 89.

B Tempus autem intra quod quàm citò commode

commodè possit se præsentare, relinquatur arbitrio boni viri in foro exteriori: in interiori autem, conscientiæ pœnitentis. Non tamen possunt isti absolui ab alio qui sit inferior Episcopo. num. 113. & 111.

XIII. Sed & præter illos qui ob percussionem clerici possunt ab Episcopo absolui iusto cum impedimento, possunt etiam ab eodem absolui percutientes clericum, quando percussio est leuis. cap. 6. num. 8. & ca. 27. num. 91.

Et quidem in præsentem non dicitur percussio leuis, eo quòd non sit mortalis, sed quia in comparatione aliarum magis mortiferarum, nec est grauis, nec est mediocris. cap. 27. num. 91. Quæ autem sit leuis vel mediocris percussio. vide tit. Percussio. A.

XIII. Ianitor etiam vel eius minister, C qui vt custodiat fores, vel cohibeat homines, manus infert Clericis; absque intentione lædendi, quamuis cum culpa; si tamè percussio sit leuis, vel mediocris, potest absolui ab Episcopo. cap. 27. num. 91.

ACCEPTIO PERSONARVM. Quando peccat quis per huiusmodi acceptiorem, vide tit. Simonia. I. lit. Q.

Quomodo vendi possint officia publica, vide tit. Officium.

C 2 ACCI

ACCIDIA.

A **ACCIDIA** est vitium inclinans ad tri-
standum de bono spirituali diuino, quato-
nus est diuinum in eo qui tristatur. Estque
ex genere suo mortalis. Eius filiae sunt quin-
que, Desperatio, Pusillanimitas, Torpor
animae, Rancor, & Euagatio mentis. cap.
23. num. 124.

In materia Accidia frequenter inuenitur
imperfectio voluntarij. Prælud. 9. num. 10. &
in No. num. 11.

B Peccat mortaliter peccato accidia, qui
per eam omittit aliquod præceptum obli-
gans sub mortali. cap. 23. num. 124. De tri-
stitia Accidia, vide, Inuidia.

Circumstantia accidia non est necessariò
confitenda. cap. 23. num. 125. §. 4.

ACTVS HVMANVS.

A **ACTVS** humanus est actus hominis vo-
luntarius. Prælud. 6. num. 2. & No. nu. 1.
Potest esse metu factus. ibid. num. 5. & No.
num. 4. & 5. Item & per concupiscentiam
factus. Ibid. num. 8. & No. num. 7.

Actus factus per ignorantiam aliquando
est

est humanus, aliquando non. Non est humanus, quando concurrunt ignorantia rei, quam non tenebar scire, quod non sit affectata, vel desiderata, vel procurata, quod sit talis sine qua non fieret actus. citra hæc tria censetur humanus actus. Præl. 6. num. 9. & in Nou. num. 8.

Actus humanus est bonus vel malus. Et B bonus quidem est ille, qui nulla lege ob se, neque ob eius circumstantias est prohibitus. Præl. 7. num. 1. Appellatur meritum. ibidem.

Nullus actus voluntarius inuenitur indifferens in indiuiduo: si enim non fuerit bonus, erit malus: vnde actus deliberatus, qui non est bonus, est peccatum. ibid. num. 27. & in Nou. num. 24.

Actus humanus bonus factus à peccatore extra gratiam Dei, prodest ad implenda præcepta, ad excusandum à nouo peccato, ad illustrandam mentem peccatoris, vt citius suum malum agnoscat, & poeniteat; ad quarendas virtutes morales, ne peccatum nos suo pondere in aliud trahat; ad quarendam cordis lætitiã, ne Angelus custodiæ nos omninò deserat, ne tam citò à Deo puniamur, denique *dat bona terra, cor facit humile, minus tormenta gehenna.* Præl. 7. 9. num. 3. cap. 27. num. 269. & in Nou. nu. 267.

Actus humanus vnus & idem in genere C

G 3 natu

naturæ, potest esse nunc bonus, deinde malus. Præl. 7. num. 21. No. num. 15. & cap. 23. num. 1. & cap. 27. num. 269.

Actus verò vnus & idē exterior, & etiam interior, non potest esse simul bonus, & malus. Præl. 7. num. 21. & No. num. 15. 17. & capit. 23. num. 1.

D Actus interior, & exterior malus concurrens in vnum peccatum, sunt duo entia, & duæ res malæ in genere natura: sed in genere moris sunt vnum peccatum. Et tūc actus exterior malus mortalis necessariò est confitendus: non tamen est necesse confiteri tunc actum interiorem. nam qui confitetur exterius, implicite confitetur interius. Ibidem. non tamen è contra. Ibid. num. 24.

Actus interior mortalis quem non confitutus est actus exterior, necessariò est confitendus. Ibidem. num. 24. & No. 20.

Actus exterior malus est peccatum mortale, quando interior est huiusmodi. Ibid. num. 23. No. 19.

ACCVSATIO ET

Accusator.

A **D** **A** **T** **V** **M** ab aliquo, timore ne accusetur, ei qui iure accusare potest, non potest repeti, cap. 17. num. 14. No. num. 15.

Acci

Accipiens pretium pro accusatione iusta, ad quam tenetur, peccat mortaliter, si est notabile, & tenetur restituere danti. Si verò accipit vt desistat ab ea iniuste, quamuis grauius peccet, non tamen tenetur restituere pretium acceptum, bene tamen damnum illatum. cap. 17. num. 95. & in Nouo num. 96.

Accusatio licita est, etiam si fiat priuata B
utilitatis causa, nec precedat secreta monitio. cap. 18. num. 30.

Per viam accusationis potest procedi contra aliquem, etiam nulla precedente infamia. cap. 18. num. 38.

Accusatus de vero crimine (secreto tamen) non tenetur restituere famam, quam accusator amisit, eo quòd illud non probauit, si illud confiteri non tenebatur. Imò quamuis teneretur confiteri, si non respondet accusatorem calumniari, sed decipi, nec, quamuis respondeat calumniari, si sibi non credatur, eo quòd iudices & reliqui credunt, accusatorem non accusasse contra conscientiam suam. cap. 18. num. 48.

Peccat mort. accusans in iudicio aliquem D
falsi criminis, vel si cum primùm nouit esse falsum, non desistit. cap. 25. num. 31.

Peccat mort. qui paciscitur, vel transigit
in causa criminali adulterij, vel alterius cri-
minis,

40 ADIVRAT. CONTRA DÆMON.

minis, in quo non est infigenda poena sanguinis, non tamen esset mortale in foro conscientiae, si cessaret scandalum. num. 32.

E Accusator, qui, ut discedat à lite iniusta, quicquam accipit, peccat cum obligatione restituendi. Qui ut vincat in causa iusta, utitur instrumētis, vel testimoniis falsis, peccat, non tamen tenetur restituere. & qui omittit accusare aliquem, cuius delictum redundat in magnum damnum Spirituale, vel temporale Reipublicae, peccat mortaliter. num. 32.

A D I V R A T I O

contra Dæmonem.

PECCAT mort. adiurans dæmonem per modum obsecrationis, ut ab eo aliquid discat, vel auxilium accipiat. cap. 11. num. 27. & in No. num. 28.

Licitum est adiurare dæmones per modum coactionis, obstringendo eos Ecclesiasticis exorcismis: vel quando sine inuocatione ipsi dæmones adsunt, ut solent adesse in arreptitiis. Atque licet etiam tunc eos interrogare (sine prece tamen, & sine aliquo societatis pacto) ad aliquorum utilitatem. cap. 11. num. 27. & No. num. 18.

Colloqui

Colloqui cum dæmonibus corpora hominum obsidentibus, propter curiositatem, vel vanitatem, est peccatum veniale; quoniam nunquam licet illis coïti nisi tanquam inimicis. *ibidem.*

ADULTERIVM.

ADULTERIVM est species & circumstantia distincta à cæteris speciebus Luxuriæ, & ideò est necessariò confitenda. cap. 6. num. 5. & No. num. 4.

Adulterum est habere copulam cum coniuge alterius. cap. 16. num. 3. & hoc quamvis sit separata à marito per diuortium, quoad thorum vel cohabitationem. capit. 22. num. 46.

Coniugatus, qui adulterat cum aliena coniugata, tenetur vtrumque explicare in confessione. cap. 6. num. 5. & in No. num. 4.

Adulterium viri grauius est quàm fœminæ secundùm vnâ considerationem, & leuius secundùm alteram. Grauius, quia maioris vigoris ratione vitur, & melius potest resistere; debêtque suam vxorem virtute vincere, eamque suo exemplo regere. Est tamen grauius adulterium fœminæ, eo quòd ipsa facit prolem de suo patre incertam, &

C 5 maius

maius scandalum generat. cap. 16. num. 23.
& No. num. 24. cap. 16.

C Mulier coniugata, quæ fingens se prægnantem, accipit filium alienum, & quæ suscepit filium ex adulterio, quamuis illum tribuat marito, absolui potest, licet talis filius participet hæreditatem ac si esset legitimus. cap. 16. num. 43. 44. Dummodo ipsa non possit aperire veritatem sine periculo vitæ, vel famæ. num. 45.

Quod si cessat huiusmodi periculum, & ipsa credit sibi adhibendam esse fidem, tenetur reuelare. num. 46. Similiter si credit filium spurium sibi daturum fidem, & relicturum fratribus legitimis totam hæreditatem, tenetur filio reuelare secretum. num. 46.

Quando verò non tenetur reuelare, vel sua reuelatio non est sufficiens, tenetur resarcire filiis legitimis meliori modo, quo potuerit. Ibidem.

D Tenetur etiam resarcire huiusmodi damnum ille qui coniugatæ tradidit filium ad supponendum. Ibidem. num. 48.

Tenetur etiam adulter si credit, aut credere debet, esse suum. Tunc autem non tenetur id credere, quando mater est leuis, & solita cum aliis adulterari, vel quia ipsamet dubitat, utrum sit filius adulteri, vel mariti. Nec ipse facile debet credere, se ad id obligatum.

gatum. cap. 16. num. 49. §. Interrogatus. No. num. 48. 49.

Si autem credit esse suum filium, tenetur patri putatio restituere impensas, quas in illo nutriendo fecit. Et etiam hospitali, si apud illud expositus fuit. Insuper & patri putatio tenetur restituere dotem aut sponsalitiā largitatem, si quam dedit ei: imò & filii eius id quod de patris hereditate habuit. num. 48. & No. 49.

Tenetur autem restituere patri putatio **F** si viuit, non quantum valet hereditas, sed iuxta prudentis & boni viri arbitrium consideratis considerandis. Sed post mortem eius si hereditas est iam acquisita inter spurium & eius fratres legitimos, tenetur spurij pater, vel persona ad id obligata, quantum valet hereditas filij sui, restituere ceteris. Quod si ista persona sit in articulo mortis constituta, & tunc velit restitutionem facere, poterit filij sui fratres legitimos meliorare, de illa bonorum suorum parte, quam iuxta leges suae regionis potest liberè cuicumque volet relinquere. ibidem. num. 48. & No. num. 50. vsque ad finem. Ratio, autè, ob quam adulter tenetur ad restitutionem, est, quia licet non sit causa proxima huius damni, tamen est satis propinqua. & ut aliquis teneatur de dāno, non requiritur esse

esse causam proximam. num. 48. & Nouo num. 49.

F Præterea quoniam adultera tenetur ad huiusmodi restitutionem, & tamen non est causa propinquior damni, quàm adulter. n. 48. & No. 49.

Quòd si adultera non possit restituere hæreditatem filiis legitimis, nisi detegendo marito adulterium, non tenetur restituere. cap. 27. num. 90. §. 8. Rationem huius vide tit. Bona hominis.

G Coniugata habens filios ex adulterio, potest testari, quia potest appellare eos filios, non vocando eos legitimos: vel potest eos vocare legitimos sine mendacio, intelligens intra se esse tales secundum communem æstimationem. cap. 16. num. 48.

Filius spurius qui iam in hæreditatem successit, quomodo restituet, aut quid debeat facere. vide, tit. Filius.

Adulterans coniux quomodo perdat ius exigendi, aut petendi debitum, aut si fit bigamus ex redditione coniugi adultero. vide tit. Matrimon. x. lit. P. & XIII.

Quando potest maritus accusare vxorem adulterij, & quando non, vide tit. Matrim. 10. §. 9. de pœnis adulterorum. vide tit. concubinarius.

ADVOCATVS.

ALIQVANDO tenetur pauperibus patrocinari sine stipendio. cap. 25. num. 24. & 29. §. 5.

Aduocatus peccat mort. exercens officium cum non sit idoneus. Vel defendens causam, quam scit iniustam: & tenetur damna restituere parti aduersæ, & etiã suæ, si eã non admonuit. Idem si reputat magis causam esse iniustam, quàm iustam. Non tamen debet id aduersario indicare. Poterit tamen patrocinari, si causa est dubia propter varias opiniones. cap. 25. num. 28.

Peccat mort. aduocatus, qui notabili sua negligentia, vel ignorantia causam iustam perdit; cum obligatione restituendi damna, & interesse, si pars ignorat imperitiam eius; aliàs secus, nisi sit dolo, vel lata culpa. n. 29.

Peccat mortaliter aduocatus, qui facit ut aduersarius amittat iustam causam, vel petit superfluas dilationes. Potest tamen occultare id, quod ius suæ partis impedire posset, & honestè simulando suum aduersarium fallere. *ibid.*

Peccat etiam mort. indicando aduersario secreta notabilis momenti suæ partis, & tenetur damna restituere. *ibid.*

Item recipiens stipendium excedens. Cõuentio

uentio autem de stipendio non est facienda in medio, sed in principio, aut fine litis. Peccatque conueniens de quota litis parte. Idem si paciscitur, vt victa parte, tantum sibi soluat. num. 30.

Peccat, qui vt vincat in causa iusta, vtitur instrumentis, vel testimoniis falsis, non tamen tenetur restituere. num. 32.

Æ T A S.

IN defectu ætatis ad ordines solus Papa dispensat. cap. 27. num. 102.

Ætatis annus à iure statutus ad ordines suscipiendos, sufficit ineptus. cap. 25. num. 116. Atque de ætate ordinandorum, vide tit. Ordo I. lit. E.

Ad obtinendum beneficium, non sufficit ætas ante decimum quartum annum. num. 135.

Ad dignitatem Ecclesiasticam, vel personatum non habentem curam animarum, requiritur ætas viginti duorum annorum. Ad canonicatum verò requiritur ætas sufficiens, vt intra tempus præfinitum possit ordinari ordine sacro requisito. num. 135. & 136. quæ magis explicantur tit. Beneficium 3. lit. B.

In cathedralibus omnes canonicatus habent

ALIMENTVM. 47

bent annexum ordinem presbyterij, diaconatus vel subdiaconatus. num. 136.

AFFINITAS, vide tit. Matrim. x. §. 4.

ALEA, Vide Ludus.

ALIMENTVM.

ALIMENTA filiorum vsque ad triennium pertinent ad matrem, post verò ad Patrem. cap. 14. num. 17. vide etiam plura tit. Filius. lit. H.

De alimentis vxoris separata à marito, vide tit. Maritus. lit. H. & tit. Dos.

De alimentis vxoris & filiorum vsurarij, aut nimium debentis: vide tit. Usura 6. lit. F. & tit. Restitutio 8. §. 1.

ANCILLA. vide tit. Seruus.

ANGELVS.

RVDES credentes Angelos esse corporeos, regulariter excusantur à pertinacia, & à culpa. Præl. 1. num. 10. §. 9. & in No. num. 15. & 16.

ANIMA.

ANIMA rationalis est substantia per se subsistens, incorporea, immortalis, creata quidem

quidem à Deo ex nihilo eam infunditur corpori. Præl. 1. num. 1.

Peccant mort. qui culpabiliter credunt, animam esse corpoream, vel corruptibilem, vel creari ab Angelis, vel creari ante corpus. num. 2, 3, 4.

Anima rationalis est verè ac per se forma corporis humani: & contrarium asserere, aut in dubium vertere, est hæresis damnata ab Ecclesia. num. 4. & in No. num. 5.

B Anima rationalis est capax & apta ad consequendam beatitudinem æternam per gratiam Dei & per bona opera. à num. 4. 5. & in No. num. 6. 7. 8.

Animæ autem potentiæ vegetatiuæ sunt tres, Nutritiua, quæ conseruat corpus: Augmentatiua, quæ auget, & perficit illud: generatiua, quæ simile sibi producit. Præl. 2. n. 1.

Eius potentiæ sensitiuæ exteriores sunt quinque visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Interiores autem sensitiuæ sunt quatuor: Sensus communis, qui ab exterioribus sibi tradita, recipit, cognoscit, & indicat: Imaginatiua seu cogitatiua, quæ sic recepta seruat: Æstimatiua, quæ recipit intentiones, quas animal naturaliter recipit: Memoria quæ sic percepta seruat. num. 3. 4.

C Animæ potentia appetitiua siue sensualitas, diuiditur in concupiscibilem, & in irascibilem

cibilem. Palud. 2. num. 4. 5.

Passiones autem Animæ cæque principales, sunt quatuor; Gaudium scilicet ac Tristitia, ad concupiscibilem; Spes verò & Timor, ad irascibilem pertinentes. Ira quoque passio est contrariam non habens nisi priuatiuè. Aliæ verò passiones Animæ minùs principales sunt amor, odium, desiderium, seu concupiscentia, reluctatio, seu renutus, delectatio, & dolor, quæ sunt in potentia concupiscibili. In irascibili autem sunt Desperatio, audacia, spei & timoris contrariæ. Præl. 5. num. 2. & 3.

Obiectum potentia Concupiscibilis est **D**
bonum vel malum absolute consideratum.
Obiectum verò Irascibilis est bonum, vel
malum ratione arduitatis, vel difficultatis
consideratum. num. 3.

De his passionibus quando sit peccatum,
aut quomodo de illis confitendum, vide tit.
Passio.

Potentia rationales animæ sunt, Intellectus & voluntas. Præl. 3. num. 1.

Peccat mort. qui culpabiliter credit non
esse liberum arbitrium, vel illud sufficere ad
merendam gratiam de condigno, vel gloriam. num. 10. & 11.

Concil. Trid. definiuit circa liberum arbitrium hæc sequentia. sess. 6. à can. 1. &c. **E**

D 1. 52

I. Si quis dixerit, hominem suis operibus quæ vel per legis doctrinam fiunt, absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo, anathema sit.

II. Si quis dixerit, ad hoc solum diuinam gratiam per Christum Iesum dari, ut facilius homo iuste viuere, ac vitam æternam promereri possit: quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque sed ægrè tamen & difficulter possit; anathema sit.

III. Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

IIII. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitati, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat ac præparet, neque possit dissentire si velit, sed veluti inanime quodam nihil omnino agere, mereq; passiuè se habere anathema sit.

V. Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imò titulum sine re, figmentum denique à Satana inuentum in Ecclesia, anathema sit.

VI. Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera,

ita ut bona Deum operari non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeò ut sit proprium eius opus non minùs proditio Iuda, quàm vocatio Pauli, anathema sit. Præl. 3. num. 10. 11.

Possumus quidem nos mala facere per solum: nostrum arbitriũ, bona verò, quæ sufficient ad vitam æternam consequendam, non possumus sine gratia Dei. Præl. 3. n. 11.

Quibus addendum, quòd etiam ad perstandum in gratia iam quæsita, & perseverandum in ea usque ad finem, egemus speciali auxilio Dei, & contrarium asserere est hæreticum. sicut declaravit Trid. sess. 6. can. 13. & 22. Præl. 3. num. 12.

Animæ habitus qualitas stabilis, inherens essentia ipsius, vel alicui potentia eius, inclinans eam ad aliquid agendum. Præl. 5. num. 7. & No. num. 12.

Et est duplex, infusus & acquisitus. Infusus est, quem infundit Deus. Acquisitus, qui producitur ab actibus frequentatis. Qui si sint boni habitus acquisitus est bonus, si verò mali, ille etiam malus. ibidem. num. 7. & No. num. 13.

 ANNVS.

ANNVS & tempus, posita in accusativo, irregulariter intelliguntur de tempore
 D 2 perfecto,

52 APOSTASIA. APPELL.

perfecto, & cōpleto. Secus, quando ex aliqua cōiectura quod fauoris, cōstat scilicet intelligatur de incepto. & sic exigebat ius antiquum. Quod non est mutatu nunc, quamuis Concil. Trid. mutauerit numerum annorum sacris ordinandorum: nā etiam nunc intelligitur de anno incepto. cap. 25. num. 116.

APOSTASIA

A Fide.

QUI metu finxit exterius se apostatasse à fide, non est excommunicatus in foro interiori, peccat tamen mortaliter. cap. 11. num. 25. & in No. num. 27.

De apostata à religione vide tit. Religiosus. 3.

APPELLATIO.

APPELLATIO non suspendit excommunicationē, interdictum, vel suspensionem præcedentem, bene tamen subsequentem. cap. 27. nu. 165.

In causa visitationis, correctionis, habilitatis, & inhabilitatis, ab Episcopo, seu illius vicario generali, ante definitiuam sententiam ab interlocutoria, vel alio graamine, non appelletur. cap. 25. num. 15. Hoc tamen solum intelligi videtur in causis crimina

mineralibus quæ tractantur coram Episcopo vel eius Vicario generali; non tamen in eis quæ tractantur coram inferioribus, vel coram delegatis à Papa, Legato, vel Episcopo. Ibidem.

Iura remouentia vel admittentia appellationem in aliquot casibus, vt in plurimum procedunt in foro exteriori. Nam in interiori iudex peccat non admittendo appellationem. Ibidem. dicto 3.

Qui sciens se iuste condemnatum, appellat ad dilatandam executionem, peccat, & tenetur restituere damna & interesse n. 39. quando teneatur iudex admittere appellationem. vide tit. iudex.

ARCHIDIACONS.

ARCHIDIACONS debet esse magister seu Licentiatus in Theologia vel iure Canonico: nec sufficit esse in ciuili, medicina, vel artibus. Vocatur autem hoc in loco Archidiaconus, qui est caput Capituli, & primus post Pontificem, qui in Hispania in Ecclesijs secularibus vocatur Decanus, & in regularibus Prior. cap. 25. num. 135.

ARGUMENTATIO, in communi, vide tit. Disputatio.

ARGUMENTATIO, iuridica. Argumentum à contrario sensu firmissimum est in iure. cap. 27. num. 221. & in Nouo. 222.

A R S.

NON peccant mortaliter, exercentes artes mechanicas, quarum vsus indifferens est, licet plures illis abutantur venialiter: Imo licet mortaliter abutantur. cap. 14. num. 31. lit. K. §. 22. & 23. & in Nouo nu. 43. eodem. §.

ARTICVLVS Fidei, vide Fides.

ARTICVLVS MORTIS.

ARTICVLVS mortis ille est, in quo communiter homines moriuntur: nempe probabile naufragium, prelium imminens, grauis & acuta febris, tempus pariendi in ea que vel numquam peperit, vel experta est partus difficiles. cap. 2. num. 8. & in No. num. 9.

B Non solum dicitur articulus mortis ille, in quo quis moritur, sed etiam, in quo probabiliter timetur mors. cap. 26. n. 31.

Articulus mortis & periculum mortis idem sunt, quoad iura facientia facultatem absoluedi in eis. cap. 27. num. 271. §. 7. & in No. num. 272.

C De casuum reservatione circa titulum mortis habentur ex iure hæc sequentia. L. ex c. Si

c. Si quis suadente : In articulo mortis simplex Sacerdos fit quoad hoc velut summus Pontifex. II. Ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. In articulo mortis omnis Sacerdos quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & cœsuris absoluerè potest. & cap. 7. In Ecclesia Dei custoditum fuit semper, vt nulla sit reseruatîo in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis & cœsuris absoluerè possunt. cap. 26. num. 26. in Nouo & cap. 27. num. 91. & num. 271. §. 5. & 6.

Vnde in articulo mortis quilibet Sacerdos Catholicus non præcisus, id est, nō hæreticus, nec schismaticus, nec excommunicatus, interdictus, aut suspensus, potest absoluerè. cap. 4. num. 1. cap. 26. num. 26. in Antiquo. Sed cap. 27. num. 271. §. 7. correxit hanc sententiam, & clarius & ferius in Nouo cap. 26. num. 26. dicens, quòd, excepto hæretico, omnis Sacerdos simplex etiam excommunicatus & denunciatus, etiam interdictus, & suspensus notorius, & schismaticus, qui nō sit hæreticus, potest in articulo mortis absoluerè ab omni peccato, & censura. cap. 26. num. 26. cap. 27. num. 272. §. 7. Quia huiusmodi Sacerdoti non tollitur quoad tale tempus iurisdictio saltem habitualis, quam habet iure diuino. Sed nullo modo

D 3 potest

56 ASSECVRATIO. ASTVTIA.
potest in tali articulo absoluere clericus nō
Sacerdos etiam sacris initiatus, & multo mi-
nūs laicus. c. 27. n. 271. §. 6. & 7.

Potest tamen Sacerdos etiam Religiosus
licite ac valide absque facultate Prælati ab-
soluere à quibuscumque casibus in mortis
articulo. cap. 4. num. 1.

Infirmus, qui in aliqua infirmitate vsus est
indulgentia bullæ cōcessa pro articulo mor-
tis, non potest eadem vti in alia infirmitate;
nisi id explicet bulla. cap. 26. num. 31.

ASSECVRATIO.

MVTVANTI pecuniam, ei, qui vult
eam traicere per loca periculosa, &
verè vult eam assecurare, licitum est eam
assecurare aliquo iusto pretio. ca. 17. n. 283.
lit. A. & in No. num. 284. 285. de quo plura
vsura, 3. quo ad mutuum.

ASTROLOGIA, vide Superstitio.

ASTVTIA.

EST vitium inclinans ad querenda bona per
media mala: opponiturque prudentiæ. c.
23. num. 77. Habetque duos ministros, do-
lum scilicet, qui est circumuentio mala tam
verbo

verbo quàm factò , vel utroque modo facta ad decipiendum ; & fraudem, quæ est eadem circumuentio mala; sed factò tantùm habitata ; inestque dolo. ibidem.

Per astutiam verò, & eius ministros, peccat, qui contrahendo vel quasi contrahendo afficit alium damno notabili per commutationem rei minoris valoris, vel pretij minoris pro alia maioris, vel pretio maiori. cap. 23. num. 77.

ATTRITIO.

ATTREDITIO, si cognoscatur quòd non est contritio, nec sit propter Deum, sed propter infamiam, non sufficit ad delendum mortale, etiam cum Sacramento penitentia: cap. 1. num. 37. & 43. lit. A. & in Nouo num. 34. 42.

Sufficiet tamen aliqua attritio, quamuis non putetur contritio, dummodo putetur expresse, vel tacite sufficere cum Sacramento. num. 43. B. & in No. num. 42. vel putetur contritio, aut saltem non putetur non contritio. Ibidem.

Attritio propter solam penam inferni nõ sufficit ad delendum mortale etiam cum Sacramento. num. 43. D. & in No. num. 44. Vbi additur, intelligendum, *Si nullus actualis, vel virtualis amor Dei, vel odium peccati,*

D 3 quate

quatensis est offensa Dei, illam comitetur.

Attritio autem solo metu pœnæ, seu infamiae &c. non est mala. cap. 1. num. 11. & in No. num. 8. & 34.

C Pœnitentia de peccatis imperfecta, & debitis carens circumstantiis nuncupatur attritio; & non contritio. Quæ attritio est duplex: vna, quæ est dolor de peccatis, sed non est omninò propositum abstinendi. Altera, quando est dolor & propositum, sed non detestatur peccatum vt summum malum. n. 36. & No. n. 33.

D Attritio ergo quâdo est dolor, sed non includit omnino propositum abstinendi, non delet peccatum mortale etiam cum Sacramento: imò est peccatum cum ea accedere ad Sacramentum. cap. 1. n. 37. & in No. num. 34.

Attritio verò, quæ includit dolorem, & propositum abstinendi, quamuis non sit detestatio peccati tanquam summi mali, sufficit ad confessionem validam & formatam. num. 37. & in No. num. 35. Debet tamen reputari contritio, vel saltem quod non putetur non contritio. num. 39. & 43. lit. A. & in No. num. 37. 42.

E Attritio non fit contritio per Sacramentum. At tamen virtute Sacramenti attritus fit contritus. num. 41. & in No. num. 38.

Ad Baptismum non sufficit quiuis dolor
dc

de peccatis: sed requiritur quòd sit propter Deum, & de peccato quatenus est offensa Dei. num. 39. & in No. num. 37. item cap. 11. num. 37.

A V A R I T I A.

AVARITIA est vitium inclinans ad inordinatum appetitum pecunie. Et opponitur liberalitati per defectum appetitus dandi, sicut è contrario prodigalitas opponitur eidem liberalitati per excessum appetitus dandi. cap. 23. num. 69.

Auaritiæ filiæ sunt Duritia cordis, Inquietudo mentis, Violentia, Fallacia, Periurium, Fraus, Proditio. num. 75. & No. 72.

Quando Auaritia opponitur tantum liberalitati, sine damno alterius, est de se venialis tantum: quando verò adiungitur ei aliqua circumstantia mortalis, ipsa quoque auaritia est mortalis. Eadem distinctio facienda est de prodigalitate. cap. 23. num. 75. & in No. num. 70. & 73.

Accumulare diuitias ad prouidendum futuræ necessitati maximè ad collocandum filios matrimonio, non est vitium, sed prudentia. Imò nec ad collocandum se in altiore[m] statum.

statum. num. 74. & 75.

AVGVRIVM. vide superstitio.

BAPTISMVS I.

A BAPTISMVS est Sacramentum aqua naturalis, qua unus ab alio in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti cum debita intentione abluatur. cap. 22. n. 5.

Baptismus est ianua reliquorum Sacramentorum; sine quo fit homo incapax eorum. num. 8. Vnde Character Ordinis de necessitate Sacramenti requirit Characterem Baptismi: non tamen characterem Confirmationis. num. 9. §. 5. item Confirmatio præ requirit Baptismum. num. 8.

B Solus Baptismus aquæ est propriè Baptismus: sanguinis verò & flaminis, metaphoricè tantùm. Baptismus autem sanguinis dicitur ille, qui fit per martyrium: flaminis verò, per pœnitentiam sine copia baptizandi. num. 5.

Peccat mortaliter, qui est in causa, vt aliquis sine Sacramento Baptismi decedat. num. 6. §. 4.

Concilium Trid. sess. 7. cap. 14. à can. 1. vsque ad can. 54. damnat sub anathemate dicentem, *Baptismum Iohannis fuisse tantæ virtutis*